

ται, nec negamus, nam & Pausanias Cappadox Sophista, qui universam Græciam peragravit, unicequè huic rei studuit, ut situm urbium & locorum, antiquitates Græcicas, singularia cujusq; regionis, imprimis templa, delubra, oras, simulacra, donaria, coram inspecta (imperante Marco Aug.) annotaret, apud Eléos ἀγνώστων Θεῶν ἑωμὸν reperit; Apostolum cum fortuitam inscriptionem arte torqueret in argumentum fidei, ab eadem discedere, aliudque quam quod referret, proferre voluisse, nulla commoda ratio est. Visum idem Lorino in *comm. ad Acta*, & Claud. Dausquejo *L. II. de S. Pauli Sanct. c. 20.* Imò ipsa vocum inscriptionis structura, character etiam, non est veteris illius Græciæ ἀυλονόμος, cui propria imprimis simplicitas & brevitatis, præsertim circa Sacra & leges. Verosimile igitur, confictam eam esse primis Ecclesiæ seculis, piâ quâdam, ut Erasmus loqui solet, vafricie, & hinc acceptam secularium literarum curiosissimo Hieronymo, qui ne Apostolus falsum dixerit, ad id falso veri specie blandienti instrumento uti non abhorruit. Quanto melius Ille, qui Μὴ μοι γένοιτο dicebat ἀπὸ τῆ ψεύδους τῆν ἀλήθειαν συστήσασθαι! Satis nota est infantis ecclesiæ credulitas, cui sapissimè illuserunt ἐμπατέουντες ἀ μὴ ἐωράκασιν, homines otio abutentes, & fanaticæ eruditionis suæ prodigi. Sanctissimo Dei præconi & martyri JUSTINO persvaserant, Simonem Samaritam infamem magum, Imperatore Claudio, divinis honoribus affectum à Populo Romano, eiq; statuam inter duos pontes ad Tiberim erectam cum hac epigraphe, SIMONIDEO SANCTO, Romæ fuisse, atq; hoc Ille in *Apol. 2. pro Christianis ad Imperatores Antoninos, Pium Verissimum & L. Verum*, Senatūq; Romanum ἀδεῶς adfirmavit. Idem credidit Tertull. *apologet. c. 13.* Euseb. *L. II. Hist. Eccl. c. 14.* Augustin. *de Hæresibus c. 1.* At deceptos id tradidisse ad posteros, Inscriptio ipsa Romæ in insulâ Tiberinâ ante annos octoginta reperta, inspecta Lipsio, & relata à Grutero 5. xcvi. SEMONI SANCO. DEO. FIDIO. plenissimè docuerit. Coluerunt Herculem hac SEMONI SANCI adpellatione Sabinâ Romani; Simonem inter Deos suos numerasse, quicquid contra nitantur Annalium Conditor sub *A. D. XLIV. n. 55. sqq. & Læli. Biscoliæ L. XII. Subcesiv. c. 8.* alio probationis genere adstruendum est: rem non conficit lapis Tiberinus, ἀπὸ τῆς τῆς πράγματι, & inidoneus prorsus. Irenæus Justinus proximus cautior paulò, de Simone, à *Claudiâ statuâ honoratus esse dicitur propter magiam*, inquit *L. I. c. 20.* rumore vulgari & famâ id ferri potius, quam certâ adseveratione teneri insinuans. Tacet de divinis honoribus & cultu publico, quem si ei detulere discipuli ejus Simoniani & Gnosticorum quidam è Christianis hæretici, ut tradit Irenæus *l. d. c. 33.* in angulis, de Romanis Gentilibus pariter id dici credive haud potest. Statuam Simoni poni decreverit Claudius, ob perpetrata quædam visa mirabilia, idem honor benè de publico meritis quibusque & excellentibus Viris conferri consuevit: pro Deo habitum & publicâ religione cultum sanctitatisque titulo insignitum ab eodem, vel etiam à privatis, malè infertur. Statuas quidem honorarias nihil religionis habuisse Gutherius *L. III. de vet. jure Pontif. c. 8.* docebit. Idem circa aræ Atheniensis epigraphen contigit Hieronymo, ut pro veterè & Apostolo visâ arriperet, quam ὑποβολέῃ cuiusdam χθῆς καὶ πρῶνν adornatum opus esse scire intererat. Sanè Chrysostomus *comm. in Acta Apost. & hom. 3. super ep. ad Titum* hujusque discipulus Pelusiotes Isidorus *L. IV. ep. 69.* uterque eodem pene tempore, quo Hieronymus, aliam non noverunt aut aliis verbis conceptam, quam quibus scriptor sacer fuerat elocutus. Quomodo etiam ad unum Hieronymum, & in ecclesiâ Latinâ, notitia pervenerit ejus, quod in Græciâ Athenis gestum Doctores græci, qui Athenas & Areopagum triverant, templa & idola Athenien-

Athenien-